

FR 69.



X 2972032

MEMORIAE SANCTAE  
MEDICORVM PRINCIPIS  
AETATIS NOSTRAE  
**DANIELIS GUILIELMI  
TRILLERI**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS  
CONSILIARI AVLICI ELECT. SAXON. PROF. ART  
SALVT. PRIMARI ORD. SVI DECANI EIVSDEMQUE  
AC TOTIVS ACAD. SEN. ATQVE ILLVSTR.  
ACAD. SCIENT. BONON. SODALIS



*Generosissimo de Ponickawianus se subscrivit  
et commendat D. Triller*

**T**am celeri gradu Chladenium, Iureconsultum elegantissimum, Trillerus secutus, omni artis medendi cultu florentissimus, lucrum huius literarum sedis, quam cum primis ille ornarat, renouauit acerbum. Cuius viri, immortalitate dignissimi, uitam ac decora tanto persequemur diligentius, quanto diutius interiusque fuimus illius familiaritate iucundissima usi. Sed latius haec ornamenta patent, iustique uoluminis mensuram implet, angustis a nobis finibus circunscribenda. nam quod de Leibnitio Fontenellius praedicat, plures homines doctos in illo uno cerni, id sine affestatione seni nostro laudi merito ducimus. Ecquae pars scientiae liberalis reperitur, quam ille non peruestigari, et scriptis, elaboratis industria, auxerit. Tantam in literis proficiendi cupiditatem, id quod in sermonibus dictitauit, Ciceronis illud pro Archia accedit, omnes artes, quae ad humanitatem pertineant, habere inter se commune uinculum, et quasi cognatione quadam contineri. Acres quoque stimulos admouit Wowerii de polymathia libellus, mature ab ipso lectus, e quo praestantissimis ueterum cognoui exemplis, ueram homini literatissimi dignitatem omni genere studiorum comparari, incitatoque eum cursu per cunctos disciplinarum campos, quantum possit ingenii felicitas, neque unquam remissa diligentia, consequi, maxima uagari cum uoluptate. Nihil autem uehementius ipsius animum pupugit, conspectu magnitudinis Grotii, cuius imaginem auream secum semper tulit, ut, quoties illam contueretur, toties ad opinionem parem contendere. Hunc ipsum mirifico fuit amore complexus, non copiosissimae tantum notitiae cauffa, sed etiam honestatis ac religiosi, tot aduersae fortunae experimentis spectatae, saepissime professus, malle se in Grotii coelo aeuo frui sempiterno, quam illorum, qui hominem tam paeclarum contumelii iniuriis grauibus uexarint.

Mox ab ineunte aetate ipsa gentis, unde fuit ille oriundus, antiquitas animum ad maiora conanda perpulit, pulchro carmine, multisque documentis instructo, de principum Saxoniae raptu, siue de carbonario optime promerito, pro dignitate celebrata. Ab Ioanne enim Schmidio, quod nomen liberatori principaliter fuit, genus Trillerum ducit originem, fidemeque in patriam, et uirtutis aemulationem, ad nostrum pariter propagauit, ac parentes eius, Mauritium Trillerum, ac Rosinam Sibyllam, stirpis Koehleriae, huius tam felicis subolis ortu recreatos Erfordiae IV. Eid. Febr. **cicicxv**. Prima pater fundamenta futurae spei potuit tanto firmius iacere, quod non unius fuit disciplinae angustiis inclusus, sed summos a philosophis, Iureconsultis, Medicis, honores consecutus, idemque Mathematica ac poetica in gymnasio Lutherano magna cum laude tradidit. Hic puerum, e matris, educandi officio fideliter functae, gremio receptum, ad confimilia studia flexit, et, sicut artium rudimentis, ita uirtutis iucunabulis, instruxit. Quid praefidii teneritas eius a duce tam perito expectare non potuit. Sed uix annos quinque nato febris acuta, uno die,

die, atque hora una, ambos Altenburgi, quo se genitor contulerat, artis curandorum corporum caufsa, rapuit. Quae calamitas ingens eum non fregit, sed erexit, quamvis tutores perfidi et negligenter operam, qua tam certae puerulus expectationis formaretur, et magna bonorum parte illum spoliarent. Primis literis, prout par est, perceptis, Cizam missus, praecoptorem habuit Herzogium, scholae regundae locum, quoties puerilis aetatis ille memoriam recordabatur ultimam, summis laudibus ornatum. nam Graeca cum Latinis apte coniunxerat, Homerum tamen praecipua tractarat eura, ut iuuenis, fidei commissus sua, statim fontem, non orationis modo politissimae, sed etiam gustus omnis humanitatis acutissimi, adiret. Hinc ille in Graeciae diuinitas amor, per tot monumenta immortalia sparsas, quae lexititauit ipsa, contemptis interpretationibus quibuslibet, iis, putans, ali pigritiam, atque umbram pro Iunone monstrari. Hippocratis saltem uetus Germanica, a Grunero et Grimmio concinnata, parum placuit, homines indoctos in errores inducens, doctis inutilis. Hinc simplicitas illa poematum, sublimitate mixta, quae et docet perspicue, et naturali pulchritudine delinit. Neque uero hodiernorum tumor poetarum eum cepit, qui tolluntur in altum, quo lapsu ruant grauiore, et de quibus illud Petronii crebris usurpauit sermonibus (Satyr. II) *qui inter haec nutritiuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant, eloquentiam perdiderunt ibi, quod levibus atque inanibus sonis ludibria quedam excitando effecerunt, ut corpus orationis eneruaretur, et caderet.* Quanto magis ille a tam uentoſa atque enormi loquacitate abhorruit, et quicquid cogitauit, et scripsit, ueterum iudicio limauit, iam scholae exercitatiōnibus affuefactus. His tam continentem nauavit operam, ut lucubratio- nibus nimis in morbum, aquae intercuti similem, implicitus, fere exanimaretur.

Reddita diuina ope ualeſudine, tum de genere uitae, tum de fede, ubi in literas, sibi charifimmas, incumberet, deliberauit. Vitembergam primo uolerat, quod ipſe nobis significauit, caeteris anteferre, Io. Gothofredi Bergeri fama, lectione physiologie eius medicae aucta, permotus. Huc igitur se contulit, uirumque longe eloquentissimum, atque in arte sua exercitatissimum, semel iterumque audiuit, incredibili cum incunditate. Sed, cum conueniret illum, fiduciamque exponeret, comperit, crebro munus docendi interrumpendum, curatione corporis reginae, Christianae Eberhardinae, uxoris Augusti II. sibi concredita. Tristis igitur discedens. Lipſiam commutauit, anno huius saeculi XIII. Hic, adductus praedicatione Coſui, Medicum philosophum ad Deum proxime accedere, ad rerum diuinarum atque humanarum scientiam se applicauit, duce Menzio, partem tamen eius, quae mores attingit, diligentius coluit illa, quae contemplativa nuncupatur. Sed physicien, experimentis comprobata, praecipuo numero habuit, perflatus, incipere medicum. ubi definat physicus, ſequo Lehmanni disciplinae tradidit. Iunxit historiam, medicae quoque ueritatis lucem, Baconis sapiens confilium fecutus, *caſum omnino recipere, et temeritati exponi, quod exemplis, et memoria rerum non fulciatur* (de augm. ſcient. II. 4.) Nec minori contentione, linguas orientis cognitas sibi perſpectasque reddidit, Abichtio praceptore, qui Hebraeam, Arabiacam, Syriacam, ei tradidit hoc studiosius, quod eius domicilio coniunctu-

que utebatur. Quas copias ut sibi compararet, non tantum Grotii diligentia, latissime fusa; impulit, sed in primis etiam Bocharti lectio. Huius scriptis, talibus opibus refertissimis, animaduerit, nihil sine his subfidiis in ullo genere eruditionis perfectae profici. Neque uero occidentis sermonem despexit, ut Italos, Gallos, Anglos, excellentes saepius interpretes naturae, consulteret, cumque peregrinationes *isoglos evenæ* iam tum in animo haberet, maiore cum fructu inter eos uerfaturus, cuncta peruestigaret. Nihil igitur impediuit, quo minus ad scientiam tuendae ualeutinum et restituendae accederet, ac virorum, prudentia atque usu celebratissimorum, frequentaret scholas, Bohnii, Riuini, Pauli, Etmulleri, Schacheri. Quicquid autem superfuit temporis, illud omne in artibus ingenuis consumpsit, quibus et animum, seuerioribus studiis sessum, reficeret, et sterilibus praecceptis libertatem ornatumque adderet. Fecit operae pretium, atque apparatum, undique collectum, in lucem aspectumque protulit, habita disputatione, de partibus corporis humani internis, quo maturius inuolutae rei notitiam sibi aliisque definiendo aperiret. Tam luculento specimine cum sapientum Lipiensium ordine gratiam iniit, summis in philosophia honoribus exornatus. His se fine mora dignissimum praestitit, elaborata diatribe nitida, de moly Homericu detecto, cum reliquis argumentis, ad fabulam Circaeam pertinentibus, nam uatem uates potuit optime enucleare, ingenioque ad interiores penetrare fabulae commemorabilis recessus, artis suae simul adminiculis fultus. Sic ille nobilis inter aequales eluxit, atque in familiaritatem uenit uirum, in magno dignitatis gradu postea collocatorum, illustrissimi praeferunt comitis de Loss, cuius propensam in feuoluntatem, eruditionis, cum primis Graecae, aemulatione allectam, et quotidiana consuetudine confirmataam, perpetua fuit pietate ueneratus. Neque tamen folius Lipsiae moenibus contineri eius sciendi cupiditas potuit, sed Halam Saxonum festinauit, ubi ex Hofmanni disciplina fructus uberiores caperet. Quae spes ipsum non fefellit, artisque perspicientiam illius fama longe maiores senfit. Satis enim dignis laudibus efferre nunquam potuit illius perspicuum docendi rationem, in caussis morborum rimandis acumen, et comitatem facilitatemque plane singularem. Trilleri uero plurimae literae et reconditiae sic eum conciliarunt, ut non acquiesceret prius, quam doctoris ipsi insignia tribueret, publico certamine inito, de pinguedine, ceu succo nutritio superfluo. Redux postea Lipsiam, in umbra latere noluit, uerum, scholis aperiundis, thesauros, diutina industria coaceruatos, in communem contulit utilitatem, diffimilis corum, qui, cum se in bibliothecas abdunt, hominum societatem deferunt.

Sed uitae quies academicæ uigorū ingenii actuofiori nunquam satis placuit, eoque cupidius conditionem, Martisburgo sibi oblatam, recepit, urbis finitimerumque locorum salubritati consulendi, **CIOCCCXX.** Breui post parum afuit, quin morbo periculoſissimo opprimeretur. E fauibus uero mortis liberatus, tantam reueuandis aegrotis operam dedit, quantam laudem carminibus uarii generis componendis deportauit. Nihil tam ei dulcius, nihil fructuosius, ueterum monumentorum lectione, in quibus subtiliter interpretandis, acuteque pristino nitori restituendis, mira fuit accusatione uerfatus. Galenus enim ipsi nobilissimam Critics dignitatem commendarat, Hippocrate emendando, germanis eiusdem libris

bris ab suppositis discernendis, et uere dictis falloue diiudicandis. At Mar-tisburgi tenuitas Trilleri non cepit dignationem, annis decem post praeter expe<sup>t</sup>ationem euocati, qui Nassouensem principem, itinera facturum, comitatus, ualeitudinem huius tueretur. Dici non potest, quantum gaudii ex occasione tam frugisera percepit, quod Baudelotius eum peregrinationum docuerat utilitatem multiplicem, atque antiquitatum, curatius in-dagatarum, comimoda. Huius uiri ductum secutus, eodem anno Argentoratum petit, ibidemque flores elegantiae Gallicae primos collegit, contr<sup>a</sup>cta amicitia cum viris copiosissima doctrina affluentibus. Praeter cae-teros Schcep<sup>lin</sup>um coluit, bellarum literarum uiuum quoddam museum, quieum usque ad obitum coniunctissime uixit. Autumno spectauit Helue-tiam, magnopere gauisus Bernullii, Werenfelsii, aliorumque hominum laudatissimorum, erga se beniuolentia, postea quoque magis magisque sta-bilita. Anno sequente fuit amplior illius docilitati patefactus campus Lu-teiae Parisiorum, ocelli Galliae totius, non minoris celebritatis hominum, quam humanitatis uenustissimae. Quod caput regni quantum sibi fructum tulerit, quavis occasione data, pleno ore concelebrauit. Hic in neceffitu-dines nouas cum uiris, omnibus artibus, quae sunt libero homine dignae, politissimis, sefe infatuauit. Plurimum tamen duumuiris tribuit Montefalconi, et Fontenellio. Illi in bibliotheca S. Genouesae quotidie affuit, codicesque rariores perlustrauit, et corporis sene<sup>c</sup>ta inualidum in museum deduxit, blando Germani optimi cognomento ornatus. Quo cupidius ab eo rationem commodissimam manu scripta uersandi accepit, atque acumen de i*ii* iudicandi in morem uertit, in primis autem tam mirifico uidit exem-*pl*o, quid assida mentis agitatio efficere possit. Nec minores habuit op-portunitates coniunctio cum Fontenellio. Satis enim mirari non potuit, tum limatum iudicium, eruditio*nem* amoenissimam cum doctrinae feueri-tate confosciandi, tum sene<sup>c</sup>tem uegetam, tam sollicita productam mode-ratione ac temperantia, ut, annos centum se superaturum, conquereretur, nisi fuisset die regis natali coactus uini Campani, a quo semper abhorruerit, calicem, obsequi*ac* faustorum omnium caufa, exhaustire. Regiae uero libro-rum supelle*ut*is numero*issim*ae contemplatio oculos animumque iucundius pauit, quam splendor aedificiorum magnificorum, quae tot exteros ad sui admirationem inuitant. Gazas tamen numerum, operumque naturae atque artis conspicuorum, curae quoque cordigne habuit, ut lect*in* priscis libris, nec plene perspecta, ip*s*is oculis usurparet. Nihil autem grauius doluit, quam quod erat festinantius hoc omnis pulchritudinis theatrum relinquendum, ad maiorem uarietatem profectioni principali conciliandum. Ne tamen profectus scientiae deminueret, iter in Belgium direxit, ubi no-bilissimas urbes adiret, atque in arte sanandi Roscium familiarius nosci-taret. Nam Boerhaauii excellentiam e uariis ingenii speciminiibus iam fue-rat uehementer admiratus, quam obseruantiam uiri conspectus, atque usus sere quotidianus, longe superauit. Alacritas certe, a prima luce ad uesperam, tot laborantibus inferuendi, nunquam fatigata, non potuit non in admirationem rapere, atque interior naturae cognitio, dilucida perspi-cuitate explicata, ac digna, quae in sepulchri inscriptione simplex ueri imago uocaretur, incrementa scientiae plurima afferre, quem ad modum facilitas affabilitasque sermonis illum sibi totum deuinxerat. Sed nihil ho-

noriscentius uenia data uenerandi Francisci I. tum Lotharingiae ducis.  
 Huic tanquam uates cecinit, decem annis ante, fastigium imperatorium,  
 sapientiae ueneratione atque morum amabilium, iis amumerandus, quos  
 Leibnitius de uaticiniis sapientum memoriae prodidit. Quo maiori gaudio  
 ouans, in urbem Franco Galliae principem rediit, cuius magnifica species  
 altius infederat, ad sitim deliciarum literatarum explendam. Neque uero ita  
 multo post Vfingam reduxit alumnun, sibi patriaeque charissimum, feli-  
 cior Pighio, moestas in Hercule Prodigio querelas deplorante, morteque  
 acerba Carolo Friderico, Cliviae duce, in medio spei exoptatissimae cur-  
 fu, orbato. Hic multis, genere quoque et loco insignibus, opem subfi-  
 diumque celeribus remedii atque aptis tulit, ab omnibus, qui propius  
 eum norant, amatus. Virtus autem, tot laboribus parta, ampliora spe-  
 ctauit, ac missionem honestissimam consecuta, Francofurtum ad Moenum  
 praetulit, cui tum praesentia Caroli VII. Imperatoris, aduerso Marte con-  
 flictantis, cum frugalitas eius sanctique mores lautiorem mererentur fort-  
 tunam, decus ac splendorem compararat eximium. Ibi consiliis imperii au-  
 lici oculos fauoremque in se conuertit, tam propensum, ut sua sponte, cum  
 dignitate consiliarii, ualeitudinis defensionem atque integratem illi demandaret,  
 altius escenstro, si conditioni, cui parere falsa religione non poterat,  
 satisfacere rogatus uoluisset. Anno XLIV. huius saeculi uix peracto, dux  
 Leucopetrensis, nec opinantem, ad se, conditionibus non mediocribus,  
 inuitauit, ut sibi a consiliis esset, fanaticaque corporis prouideret.  
 Quamuis autem nihil ei deesset ad vitae commoditatem, amoenitate in-  
 genii, ac uigilantia muneris fungendi, apud hunc heroa gratiofissimo,  
 expeditio tamen in Bohemiam in uaria vitam discrimina coniecit, diuturna  
 quoque imbecillitate fractam, dum, recreatus iterum, Leucopetram  
 reuiseret, rectiusque ualeret. Tunc sibi uidebatur in portum uenisse, ubi  
 nauis, tot procellis agitata, in tuto conquiesceret. Etenim Principis, na-  
 tura mitifissimi, uoluntate in se confidere praeter caeteros potuit, rem fa-  
 miliarem honestis rationibus augere, otiumque ad libros utiles legendos  
 scribendosque impendere. Sed o uota hominum caduca. Improuisus illi-  
 lius discessus, tam munifici, hoc dulce decus ac praefidum abstulit, ac  
 Trillerum tristissimo luctu affecit, solius prouidae Dei curae solatio ani-  
 mum prostratum erigentem. Huius occulta sapientia, quae toties ipsum  
 a formidinum terrore, praeter omnem expe<sup>c</sup>tationem, vindicarat, fecit,  
 ut haec etiam calamitas instrumentum nouae felicitatis fieret. Nam, quae  
 fuit Augusti III. Sarmatarum regis, liberalitas, eundem dignitatis gradum,  
 eademque commoda, reddidit Dresenae, ubi, longo usu regiis Admini-  
 stris cognitus, certam rerum sedem ac fortunarum praefolaretur. Ab  
 his electio dabatur, utrum Lipsiae, an Vitembergae, mallet de orbe literis  
 exculto in posterum mereri. Hanc ille, derelictam prius, et minus amo-  
 enam, anteposuit, ac Stenzelio, in scientia medendi ueratisfissimo, cum  
 plausu optimi cuiusque V. Kal. Aug. anni XLIX. succedit. Hic ita se ges-  
 fit, ut nec Vitembergam Trilleri, nec Trillerum Vitembergae, poeniteret.  
 nam, more maiorum, compendiarios libellos abiecit, iuuenesque ad fontes  
 duxit, Hippocratem praecipue, huius disciplinae parentem, cuius uarios  
 libros castigauit, enucleauit, in hodiernos usus uertit. Neque domi cupi-  
 diissimum quemque plura discendi destituit, sed consiliis saluberrimis ad  
 opti-

optimas rationes ineundas compulit. Lectissimis disputationibus ac plurimis auxit academiae gloriam, apud exteros recusis, atque in opuscula potesta redactis. Si quis grauioris ualeitudinis genere tentatus, eius implorauit auxilium, sine mora affui, atque inopibus gratuitam praesulit operam. Decani ordinis sui uices obiit tanta industria, quanta dignitate, uicies bis, ac rector societati nostrae sexies praefuit, tam seuera iustitia, ut ne splendidiissimis quidem uiris, pro reis deprecantibus, cederet. Quamuis autem nomen fibi propitium summis efferret, et crebro repetitis, laudibus, diebus maxime natalibus, cuius beneficio pluribus lapillis candidis, quam nigris, dies signarit, patientia tamen fuit grauissimus quoque experimentis probata. Duea praeserit calamites acciderunt, tristri recordatione semper renouatae. Pridie Eid. Aug. anni LI. tabes insanabilis coniugis uitam finiuit, Mariae Henriettae, in qua corporis uenustas cum pulchritudine animi certauit. Hanc quantopere desiderarit, et dilexerit, et coluerit, publico monimento, aere stabiliori, posteris significauit. Reliquit tamen illa charitatis tenerrimae pignora, Charlottam Willhelminam, quae parentis orbitati magno fuit leuamento prius, quam Fleischero, bibliopolae celebri, nuberet. Henricum Franciscum obitu immaturo amisit pater perinde, atque Fridericam Magdalena Franciscam, Oertelio, Viro Plurimum Reuerendo, matrimonio iunctam, et Sophiam Christianam Augustam. Superstites tamen sunt Iohannes Guilielmus, uectigalibus Principalibus praefectus, spectatae fidei, et Carolus Fridericus, summos Iurisprudentiae honores nuper adeptus, ubi dignissimus illis habitus, in exploratione solemnii, diatriben elegantem de Iurisprudentia Poetarum sine praefide strenue defenderat, parente filio plaudente. Is singulari fuit amore complexus Henriettam Rosinam, et Christianam Luisam, filias, quae, sicut nihil praetermiserunt, quod ad patriam senectutem recreandam pertineret, illi honestate uitae, et confuetudinis hilaritate, probatissimae, sic omnium illius faustorum uberes fructus ac diuturnos capient, bonorum non minus, quam malorum, participes. namque in obsidione huius urbis fatali a genitoris latere non discesserunt, ab eo carmine lugubri, atque octies praestantiae caussa foras dato, memoriae perpetuae transdita. Tum maxime robur animi excelsi, atque humana defipientis, eluxit. Omnibus enim trepidantibus, ille, Socratis instar, in eodem uultu eademque fronte perseverauit, blandis alias uerbis consolatus, ut uel fracti muniti ruinae uiderentur impavidum obruturae. Postea uitae cursum sine magna tenuit offensione, ac, forte sua contentus, uitam ad senectutem lenissimam produxit, cum Leontino Gorgia merito gloriatus, nihil se habere, quod incuset senectutem (Cic. de senect. c. 5.) neque enim unquam in suo studio atque opera cessauit, usque ad extremum diem sensibus omnibus integris usus. Quo tandem paeto hoc extutum uitiae spatium attigerit, non disimulauit, sed, cum ex eo quaereretur, cur tamdiu placide uixerit, duo remedia commendauit, moderatum uictum, ac securitatem, sed ratione consentaneam. Ipse Pater Patriae Serenissimus, huius ciuitatis fidem iure, iurando astringens, fuit tot annos, tamque uegetos senis, demississimo carmine apparentis, miratus, ac responso delectatus mirifice, tantum se spatium percurrisse, quod, quam prorogandi aei legem praescriperit aliis, ipse accurate exquisiteque retinuerit. Tandem sua quemque dies uiget.

felicem, si famam factis extendit, facile inque reperit exitum. Hunc Triller gratulamur, qui magis obdormivit, quam mortis violentiae succubuit; senili languore consumptus, velut flamma oleo subtracto, XI. Kal. Jun. completis annis LXXXVIII. tribus mensibus, duodecim diebus. Sic fuit uoti, identidem concepti, damnatus, ut eadem facilitate, qua Augustus, ex uita migraret, qui, auctore Suetonio (c. 99.) quoties cito, ac nullo cruciatu, defunctum quempiam, audisset, sibi et suis *subsequentes* fuerit precatus similem, amicosque cohortatus, ut, si personam, sibi impositam, recte sustinuerit, laeto plausu abeuntem prosequerentur. Suos certe rogauit semel iterumque, ut bono essent animo, uehementer gauisus, se, breui fessi corporis uinculis liberatum, coniugem desideratissimam recepturum, et, quod ardentius expetebat, feruatori, immortaliter de se promerito, gratias acturum. Tanta uis est conscientiae, quam culpa nulla in ruborem dat, ut, quod plurimi homines horrent, nihil reformidet. Quam uiri summi honestatem comprobabit effigies, primis uelut lineis designanda. Graibus enim monitis cauit, ne praedicationibus nimis, quas ferre nunquam modestia potuit, manes sui turbarentur, non ignarus, ingenio parua rumuscios acuipari, magna, quae, quantum sit, quod ignoremus, sciant, humilius nihil adulatione ducere. Decora tamen uirtutis filere, aequa fuerit iniustum, ac mercedem, longis molestiis partam, illi denegare. Ordinar ab rerum scientia diuinarum, studii eius illistrata. Quid enim quantumque in codice sacro probe interpretando ualuerit, uel foliae uincunt obseruationes philologicae, et exegeticae in N. T. ubique insertae curis philologicis, et criticis Wolfii. Hic uero praetermisit alias, alias contraxit nimium, post mortem uiri huius adeo dispersas, ut a fratre eius paucas recuperaret. Quantopere Theologi, uel castissimae doctrinae, eas approbarint, Neumeisteri suffragatio prodit, Trillerum rogantis, cur rerum diuinarum disciplinam non professus, sententiam tabularum diuinarum uiderit acutius, illarum doctoribus. Cui ille, in nullum, inquit, Systema iurauit nam Grotii sui uestigia etiam hic persecutus, Theologiam, quam nuncupant elec<sup>t</sup>icam, anteposuit seruili, saepe numero uerba repetens uiri e praefatione ad N. T. *michi cum ista annotarem, propositum semper fuit, non alio*rum* earum inserire partium, in quas, ingenti nostri saeculi malo, diuisi sumus Christiani, sed Christianis plane omnibus, meaque dirigere ad notitiam Euangelicae ueritatis, et incrementum pietatis eius, ad quam omni studio debemus contendere, si ex tanto nomine censi volumus.* Tot tamen Hebraicos in N. T. non deprehendit, quot Grotius, in quibus saepe dictiones purissimae numerentur, quamvis neque illis se adiunxerit, qui munditiem Graecam, numeris omnibus absolutam, uendant. Huius ipsius Christum patientem in Germanicos uersus conuertit, semel iterumque publici iuris factos, ut grauitate ualestudinis leuatus, Christum liberatorem uenerabundus coleret. Neque uero solum partes antiquitatis complures ibi illustravit, sed etiam commentationibus religiosis usum tantae salutis fulsit. Priscos quoque Iurisconsultos in pretio magno habuit, tum Latini sermonis copia, tum rerum multiplice varietate, commotus. Testes sunt tres exercitaciones medico Criticae in legem XVI. §. 7. digestorum de publicanis et negligib<sup>us</sup>, quibus animaduerfiones fuisse ad legem Rhodiā de iactu iuncturus, si uita licuisset longiore perfuerit. De salutaris artis incrementis, illius

lius opera continente adiectis, pluribus agere quid attinet. Quantum lumen Graecis illius acumen Latinisque reliquis attulit, quas partim castigauit, partim, complicatis notionibus euolutis, fecit apertiores, partim defendit, ignoratione, aut iniuria, uituperatas. Nihil autem in maiore orbis aman-  
tis literarum fuit expectatione, Hippocratis noua recensione, impulsu Boerhaauii suscepta, ac pulcherrime adumbrata in commentatione, de no-  
ua Hippocratis editione adornanda, cui speciminis loco iunctus libellus  
Hippocratis de anatome, commentario medico Critico perpetuo illufratus.  
Nulli pepercit operae, sumptibus nullis, ut hic omnis Medicinae dux  
quam mundissimus prodiret. Materia, undique coacta, est ad finem per-  
ducta, sola forma ac species desideratur, uariis casibus functis, summo  
uiri cum dolore impedita. Suprema tamen uoluntate eas init rationes,  
quibus hic thesaurus saluus atque incolumis ad posteros perueniret. Ne-  
que uero solis ueterum sententia adhaesit, sed noua et ipse reperit, et ab  
aliis inuenta, in rem suam uertit. Commentatio de pleuritide, eiusque  
curatione, Venetis iterata, illius sollertia morbos facili curatione ac tuta  
depellendi in illustri posuit monumento. Verum temperare sibi non potuit,  
quin carmine singulare, in Pensyluania reuocato, uariolarum rideret insi-  
tionem, longioribus experimentis muniendam, et nouam nitidamque phiti-  
ficos curandi methodum per uetera olida pecorum stabula, sacerdotum in-  
dignatus inconsiderantiam, plebi pro sacris pulpitis huiusmodi leuamenta,  
nec dum satis explorata, commendandi, rectius facturorum, si diligenter  
animorum sanationi, quam corporum, studeant. Notauit etiam false  
nimis curiosam papilioes aucupandi, atque innumerabilia rerum natura-  
lium genera cumulandi, contentionem, qua memoria, uel maxima, ob-  
ruatur, intermittantur grauiora. Illud praecipuum fecit admirabilitatem,  
quod arti sua fuit ipse tantopere diffusus, in ore semper habens illud Hip-  
pocratis, nullam medicinam optimam ponendam. Quod si languere cor-  
pus sensit, in lecto cubuit, ab omni cibo se se abstiens, usque eo, donec  
huius cupiditas, fastidio sublato, rursus excitaretur. Sed eius stomachi  
non fuit philosophia, recentior tamen magis, quam uetus. Decrerat enim  
philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennum, paucis, omnino, haud  
placuerat. (Cic. de orat. II. 37.) Ab ratione praesertim Cartesiana fue-  
rat ac Leibnitiana alienus, quod eam barbariae potius, quam rerum diuina-  
rum humanarumque, magistrum iudicaret, tametsi Leibnitii delectabatur  
ingenio, cuius Theodicaceae Graecos uersus et Latinos in priore editione  
conuerterat Germanice. Cupidius Philologiae cum Medicina connubium  
amplexatus, obseruationibus Criticis in uarios Graecos et Latinos aufto-  
res, emendationum Hesychianarum specimine ncuo, notis philologicis et  
criticis in Thomam Magistrum, ne de pluribus mentionem faciam, quanta  
in illa spatia fecerit, cum gloria manente, aperuit, illis infenissimus, qui in  
antiquitatis monumentis urunt et fecant, ubi planior via difficultatis expe-  
dienda, una uel altera litera ac syllaba mutata, patet, et uarias lectiones  
nullius momenti, uel exigui, molesta sedulitate congerunt. Quicquid emi-  
fit librum, facilitate intelligentiae conduxit et concinnitate, festiuus saepe  
uocum mutationibus iocatus, quas nemo uitio uertet, qui iudicem Quin-  
tilianum sumpserit. (IX. 3.) est hoc genus figurarum, quae aut similitudine  
aliqua uocum, aut paribus, aut contrariis, uertunt in se aures, et animos

exci-

FR 24 1433 VD 18

X.  
excitant. Quanta uero fuerit nautitate, in multitudine scriptorum appareat, a Weizio in Saxonia literata, ipso Trillerio auctore, plene recensita, quibus, praeter nonnulla supra commemorata, addimus disputationes, de tempestiu medici silentio, et intempestiu aegroti, ac de tempestiu aegroti silentio, programmata quoque de probabili causa polyporum, et lepiarum pisticium, festo Amphidromiorum die, puerperis oblitorum, de brasica, puerperis, ipso festo Amphidromiorum die, in commodum alimentum, et salutare simul remedium, oblata atque apposita, de alluione alimentaria, ab Hippocrate apposite descripta, de aptissima Medicinae definitione, ab ipso Hippocrate sapienter proposta. Neque enim potuit unquam uirtutam diligentis copia exahauriri, sine iactatione gloriantis, si uel annos centum supergrediatur, scribendi se materia abundaturum. Sic de sparsis uoluit salutaribus prope*ctem* prae*cipere*, ne iis homines semper exterreantur, ad uitam conseruandam valde necessariis. Sed maiori doctrina, uel locupletissima, turpiditini daretur, nisi uirtutis accederent ornamenta. Ad quae studiosius persequenda, per omnem uitam se ante oculos habuisse, uir honestissimus subinde p<sup>rae</sup> se tuli, Heluidii Prisci imaginem, a Tacito in tam claro lumine collocatam (Hist. IV. 5.) *Is ingenio illustri, altioribus studiis deditus, doct<sup>ri</sup>nibus se sapientiae dedit, qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia, iudicarent, caetera extra animum, neque bonis annumerarent, neque malis, ciuis, maritus, gener, amicus, cunctis uitiae officiis aquabilis, opum contemptor, recti peruvicax, constans aduersus metus.* Quanto nobiliori cum dignitate a statione discessit noster, paullo ante obitum, postquam magistratu academico se abdicabat, prae*fagiens* uitae finem. Oratione enim solemni eximium Lucretii locum dilatarat (II. u. 78. derer. nat.) ubi rerum uicissitudines humanarum canit, quibus mortales, quasi cursores, uitai lampada tradant. Nos nihil uehementius exoptamus, quam ut Trillerus successor taedam porrigat, qui cursum non uitae modo eundem, sed etiam gloriae, consequetatur. Vos autem, *Cives Humanissimi, Virum, tot tantisque ornamenti insignem, perpetua recolite memoria, et, quod maioris est, rationem studiorum, quam tenuit ille, seruate. Linguarum notitiam praemunite, quae uiam patefacit ad altiora, illius ab Sarpio dicti (ep. 35) memores, dum minima spernere uideri uolumus, fape omittuntur magna. Poetarum lectione ingenium limate, ac iudicium feuerioribus disciplinis acute. Critics ope fecernite a pulchris inepta, ac uirtutem cum doctrina arto, quod ipsa natura copulauit, vinculo constringite. Cumque tam late pateat humanitatis campus, nullum diem sine linea dimittite, reputantes illud, quod Trillerus e Seneca suo toties repetit, assiduitatis inuitamentum, otium sine literis mors est, ac uiui homini sepulitura P. P. Domin. VIII. post Trinit.* CIPIDOCCLXXXII

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DUREIT

NC

FR 69.



X 2972032

MEMORIAE SANCTAE  
MEDICORVM PRINCIPIS  
AETATIS NOSTRAE  
DANIELIS GUILIELMI  
TRILLERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS  
CONSILIARI AVLICI ELECT. SAXON. PROF. ART  
SALVT. PRIMARI ORD. SVI DECANI EIVSDEMQUE  
AC TOTIVS ACAD. SEN. ATQVE ILLVSTR.  
ACAD. SCIENT. EONON. SODALIS

S



Generosissimo de Ponie  
et ut se submisso  
documentat D. Triller

